Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 701

Quelle:
Copyright:

Dimittamus illum. tantum nos curandos demus. non medico. consilium prębeamus.

Alius eiusdem de responsorio psalmi quinquagesimi primi. Speraui in misericordia dei in ęternum. *Cap.* XLIX. Inscriptio *fol.* 74. *Sermo sancti aug. ep.* Init: *Primo respondeam fratri et collegę meo. Ego mane inquietam dixi debere esse caritatem, non pigram. sed quiu hoc uoluit. nos obaudiamus et illi, et deo per illum et uobis et det in uobis obedientiam. Cantauimus. Speraui in misericordia dei* &c. Finit breuior: *Sit spes tua in terra morientium. et erit portio tua in terra uiuentium.* Notatus Sermo in *Indic. Possidii* c. 8. uti et Sermo *de Caritate inquietâ*, qui nostrum prolicuit, sed adhuc quaeritur.

Item alius de uersu psalmi centesimi quadragesimi quinti. Laudabo dominum in uita mea. *Cap.* L. Inscriptio *fol.* 74. p. 2. *Sermo sancti aug. ep.* Init: *De uerbis istius psalmi quem modo cantauimus. donet dominus ut uobis loqui ualeamus. Diximus enim. laudabo dominum in uita mea. psallam deo meo quam diu uiuo. Quibus uerbis hoc primo ammoneamus caritatem uestram. ne cum auditis uel dicitis, quamdiu uiuo psallam deo meo. existimetis cum hęc uita finita fuerit, finiri nobis laudem dei.* Finit: *Hoc discitur in schola christi doctoris. hoc speratur ab animo fidelis auditoris. Hęc est merces uerissima saluatoris.*

Alius eiusdem ubi domini uerba ad nicodemum loquentis exponens de originali peccato. *Cap.* LI. Inscriptio *fol.* 75. p. 2. *Sermo sancti aug. ep.* Init: *Natali sancti iohannis inter cetera* &c. Edit. *Maur.* T. V. Sermo 294.

Item alius de euangelio ubi de diuite et lazaro mendico refert. *Cap.* LII. Inscriptio *fol.* 80. *Sermo sancti aug. ep. de diuite et lazaro.* Init: *Christianorum fides quę ab impiis et infidelibus irridetur. hęc est. quia nos dicimus esse aliam uitam post istam uitam. et esse a mortuis resurrectionem. et esse post transactum seculum in fine iudicium.* Finit valde prolixus: *quia et ipse requiem prędestinatam desiderauit, et pęnas sempiternas inuenit. Fratres karissimi. eligite potius duriora quę sine fine requiem habebunt in ęternum.* Sermo citatus a *Possidio Indic.* c. 8.

Alius eiusdem de euangelio, nisi manducaueritis carnem filii hominis, contra pelagianos. *Cap.* LIII. Inscriptio *fol.* 84. *Sermo sancti aug. ep. Sabbato ante palmas.* Init: *Audiuimus uerácem magistrum* &c. Edit. *Maur.* T. V. Sermo 131.

Item alius unde supra. *Cap.* LIV. Inscriptio *fol.* 85. p. 2. *Sermo sancti aug. ep. unde supra. Dominica XIV.* Init: *Si consideremus fratres ante gratiam domini* &c. Edit. *Maur.* T. *cit.* Sermo 163.

Alius eiusdem de euangelio ubi dicitur. Si manseritis in uerbo meo: uere discipuli mei eritis. *Cap.* LV. Inscriptio *fol.* 87. p. 2. *Sermo sancti aug. ep.* Init: *Nouit caritas uestra omnes nos habere unum magistrum* &c. Edit. *Maur.* T. *cit.* Sermo 134.

Ulti-